



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vitae Sanctorvm**

**Lippeloo, Zacharias**

**Coloniae Agrippinæ, 1603**

Vita S. Maximi Episcopi Rhegiensis in Gallia Cisaplina: Ex ea quæ est per  
Dinamium Patriciu[m]. Succesit S. Prospero anno Domini 466. ferturq[ue]  
Vimæ obijse in Territorio Taruanensi: Vbi ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42787**

*Vide Notat.* **VITA S. MAXIMI EPISCOPI RHE-**  
*C. Baron. in* **giensis in Gallia Cisalpina: Ex ea qua est per**  
*Martyrol.* **Dinamium Patriciū. Succesit S. Prospero anno**  
*Roman. &* **Domni 466. ferturq; Vima obijisse in Terru-**  
*Tō 6. Ann.* **rio Taruanensi: Vbi quadruplici solennitate ce-**  
*Item Ioan.* **latur. Verūm propter vrbis excidium Cassari-**  
*Mola in Ind.* **liquiarum eius est Tpris Flandorum.**  
*SS. Belgij.*

27. Nouē.  
*S. Maximi*  
*natales &*  
*patria.*

*Pellet infig-*  
*ni castitate.*

*Confert se ad*  
*Lirimense*  
*monasteriū.*

*Fit ibidem*  
*Abbas.*  
*Creatur epi-*  
*scopus Rhe-*  
*giensis.*

**B**EATVS Maximus in vico proprio, cui  
 Decomeco nomen est, Christianis ortus  
 parentibus, ab ipsis infantie rudimentis,  
 ita lubricos adolescentie annos morum ma-  
 turitate castigauit, luxurieque illecebras &  
 blandimenta animi magisterio & censura e-  
 domuit, vt rarum in eo castimonie exemplum  
 eluceret. Sed ijs minimē cōtentus, vt abundan-  
 tiori Christi gratia frueretur, terrenis facultati-  
 bus posthabitis, Lirinēse monasterium sem-  
 piternas diuitias congesturus petijt: vbi tam  
 eximia vitæ integritate ac sanctitate floruit, vt  
 cunctis mirificē charus, tandem Honorato de-  
 cessori suo summis virtutibus ornatissimo, me-  
 ritis haud inferior succederet. Qua in functio-  
 ne cū rara quadam prudentie & virtutis opi-  
 nione versaretur, fama insignium virtutum  
 eius per orbem volitante, ad Rhegiensis vrbis  
 episcopatum non minus raptus quā electus,  
 & quamuis inuitus ilicō consecratus est.

Porro in Episcopatu multis & summis vir-  
 tutum ornamentis cultissimus, cū in Rhegi-  
 ensi castello templum in honorem beati Albi-  
 ni condere statuisset, hoc inprimis admirabile  
 in ea structura contigisse memoratur. Erant  
 immani vastitate columnę, quas iuga boum ad  
 rem-

templum pertrahebant. Cumque præfente Episcopo oneri iungerentur, nullam tanti ponderis molestiam sentiebant; eo verò absente, addè earum pondere, nequissimi dæmonis occulta machinatione, premebantur, vt nullis stimulis ad progrediendum adigi possent. Nec mirum sanè. Populo enim eam rem stupente, vir diuinus, cuius oculos inimicus fallere non poterat, paruam cernebat Aethiopem bobus sese obijcientem. Cumque flexis genibus supplices Deo preces funderet, vt hostis infidias auerteret, malignus vim precum non ferens, ocyùs, non sine teterrimo foetore, recedebat. Fertur quoque puerum à morte ad vitam reuocasse, itemque puellam; adolescentem quoque qui rabidi canis laniatu, miserè extinctus erat, non solum vitæ restituit, sed & plurimos, qui saucij vix euaserant, signo Crucis confestim curauit. Porro innumera sunt reliqua beatissimi Antistitis miracula: cum ei facillimum esset illuminare cæcos, sanare claudos & vitæ sanctos excitare.

*En nequissimè  
dæmonia.*

*Excitat mortuum  
puerum  
& puellam.*

*Item adolescentem.*

Cæterùm teneros corporis sui artus perpetua cilicij asperitate domabat: tota, virtute in eam rem incumbens, vt ab omni peccati contagione purus populum sibi creditum ad pacuam vitæ æternæ, & verbo & exemplo pertraheret. Imminente autem sui obitus die, quem diuina reuelatione cognouerat, ad natale solum, vt propinquos inuiseret & cælesti doctrina ditaret, reuersus est: vbi leui infirmitate correptus, extremum halitum V. Kalend. Decembris efflauit. Corpus eius in oppidum Rhegiense reductum fuit: ibidemque in Ecclesia B. Petri, quam

*Vtitur perpetuò  
cilicio.*

*Obitum eius  
felicissimus.*

*Locus sepul-  
turæ eius.*

quam ipse condiderat, summa cum celebritate sepultum.

## MARTYRIVM S. IACOBI INTERCISI:

Vide C. Baron. Nota. ad Martyrol. Rom.

Ex eo quod fide optima extat apud Laur. Surium: Coronatus est sub Isdegenis Persarum Rege, temporibus Theodosij Imperatoris: qui floruit anno Christi 379. & seqq.

27. Nouē.

Nimia principis familiaritate à Christo abducitur.

Mater eius & vxor amplius eum nolunt agnoscere.

Redit ad mentem & acerbissime facinus suū desinet.

IACOBVS martyr ex regione Persarum ciuitate Elape oriundus, nobilis genere, sed fide nobilior, cum à parentibus Christiana pietate egregiè imbutis, Christianissimam pariter accepisset vxorem, non potuit non eximijs pietatis operibus efflorere. Sed cum Regi Persarum notissimus inter optimates primus haberetur, accidit vt nimio principis amore seductus, animum ad cultum idolorum paulatim inflecteret, & nefandis simulacris thura offerret. Quòd simulacra mater & vxor intellexere, protinus datis ad eum literis, nefarium, quo se obstrinxerat, facinus ei ob oculos posuerunt, præcisè nunciantes se sanguinis communionem in perfido homine & fidei Christianæ desertore amplius non agnoscere. Iacobus his perceptis, non potuit non animo commoueri, totusque lachrymis infusus: Si, inquit, quæ me genuit mater, & coniunx charissima tanto odio perfidiam detestatur: Christus Dominus, qui me suo sanguine redemit, quibus me oculis nunc aspiciet? Hac dicens facinusque detestans multis sese lamentis confecit: nihilque non fecit vt amissam